

Johann Quistorp

**Programma Quo Ad Solennia Jesu Christi Salvatoris Natalitia Devota & grata  
memoria colenda, Cives Academici invitantur**

Rostochii: Kilius, 1641

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734810210>

Druck Freier  Zugang



R U. Progr. 1641.

1) Nicol. Schütze

2) " " "

3) Johann Lotmann

4) Johann Quistorp

5) Progr. contra Schmittianum







4

PROGRAMMA  
QUO  
AD SOLENNIA  
IESU CHRISTI  
SALVATORIS NA-  
TALITIA

Devotâ & gratâ memoria  
colenda,


*Cives Academici invitantur, propositum*

RECTORE Universitatis  
JOHANNE QUISTORPIO, D.  
& Theologicæ Facultatis Seniore  
Anno 1641.



ROSTOCHII,  
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.  
ANNO M. DC. LXI.





**P**ostquam Dei gratiâ iterum illuxit nobis ille dies, quo sancta mater Ecclesia, cujus nos filios profitemur, memoriam Nativitatis Domini nostri **JESU CHRISTI** recolit: operæ pretium non putamus, disputare, an hic ipse mensis diesq; sit, quo meritissimus salvator noster cum assumptâ carne nostra ex beatissimæ Virginis Mariæ utero prodiit. Quid enim in eo desudemus, quod in dubio relictum non magis damnare, quam decisum salvare, aut magis Christianum facere quenquâ potest? Quin potius concordibus studiis hunc ipsum celebramus diem, quem Ecclesia tot jam seculis celebravit, postquam aliquem omnino celebrandum statuit, quo de Nativitate Salvatoris nostri populus erudiretur, & ad gratias pro beneficijs ex ea ad totum genus humanum redundantibus agendas excitaretur. Si enim olim, qui gentilium cæteris sapientiæ justitiæq; studiis antecellere putabantur, Græci & Romani, viros excellentes, & de Republicâ, patriâve præclarè meritos, imò fæminas etiâ, in consortium hujusmodi meritorum eluctatas, non modo statuis arisq; erectis, sed multis etiam aliis honorum generibus profecuti sunt, atq; inter cætera quoq; natales eorum dies celebrandos institue-



stituerunt: Ecclesia profectò longè justiores causas quin habuerit, cur Domini & salvatoris nostri JESU CHRISTI natalem celebrandum suis indiceret, dubitari omnino non debet. Quid enim illi Heroes gentilium præstiterunt, aut præstare poterunt, quod idem præstandi facultatem, aut certè spem non haberent & alii? cum omninò is præcipuus hujusmodi institutorum scopus fuerit, ut tam magnificis virtutum meritorumq; præmiis illecti plures alii, eosdem de patriâ bene merendi Spiritus sibi fumerent. Taceo angustos illos patriæ sive urbis sive regionis terminos, intra quos sese continebant illa merita. Neq; dico, quantis cū aliorū damnis, injuriis & querelis sæpe fuerint conjuncta, quæ illi divinorum loco beneficiorum habebant & celebrabant. At, quæ Christus suâ natiuitatè nobis attulit, nemini sunt per injuriam, ablata aut erepta, ut possit jure conqueri; nulli hominum, sive oriens eum sol videat, sive occidens, denegata; in nullius deniq; creaturæ potestate posita. Quare nec eò à nobis sine celebrari possunt aut debent, ut quis conetur hujusmodi meritis Christum imitari, sequi, prævertere; sed ut, quò minus ab ullâ creatura exspectare ea potuimus unquam, eò magis ad agnoscenda illa & deprædicanda excitaremur. Non scilicet sunt ea, aut iis æquiparanda, quæ pueris majora non capi-



entibus piè persuademus, annuatim hesternâ vesperâ, aut nocte proximâ à Jesulo dari, saccharum, poma, vestimenta, crepundia, & si quæ alia sunt, quorum amore ut tenetur illa ætatula, ita ad redamandum Jesulum illicitur, eorum scilicet datorem, ut ipsi putant, imò ut revera est. Nisi enim ipse & hæc nobis largiretur, nos pueris dare non possemus. Sed alia, longè alia sunt, nec veniunt in tam humilem horum censum. Imò ea sunt, sine quibus si esset, satius foret, homines nunquã ullo beneficio à Deo affectos, nunquã natos, numquã creatos esse. Postquàm enim primi nostri parentes, à Deo ad imaginem ipsius æternæq; vitæ spem creati, contra divinum interdictum, arboris, quæ in medio Paradisi a Deo in prima creatione producta stabat, fructum comedendo, & se, & omnem nondum natam posteritatem (ò miseriam!) iræ divinæ æternæq; mortis reos fecerant, eò res humanæ prolapsæ erant, ut nos eorum posteriores contagione illa peccati, inde à materno utero in hunc mundum nobiscum allatâ, interna ejus vitæ tracti & subacti, ad omne malum, peccatis actualibus immensis atq; innumeris, eandem Dei iram aggravaremus; datam legem, quæ perfectam obedientiam, cum repetitâ æternæ mortis comminatione à nobis flagitabat, ne minima quidem ejus parte servaremus; Diaboli verò seductoris antè nostri,



nostri, nunc etiam tortoris potestati traditi, jam  
jā in ipsos æternæ damnationis cruciatus abjicien-  
di essemus: quid erat quæso, quod solatii nobis vel  
minimū dare posset? solatii vero? Imò omnia Dei  
beneficia in nos collata oleum & ignem addebant  
illi, quem merito nostro metuebamus camino.  
Quos creaverat ad sui imaginem, facti jam eramus  
larvæ Diaboli, eodem cum ipso igne æternum u-  
stulandi. Quibus initio imperium dederat totius  
terreni orbis; quibus subjecerat oves & boves, &  
pecora campi, & pisces maris, & quicquid peram-  
bulat semitas maris: infra omnes jam creaturas  
cum Diabolo abijciendi eramus. Quibus, si in-  
nocentes maneremus, pro sua bonitate, æternam  
coeli gloriam dare destinaverat: hos ob peccata  
jam nunquam finienda manebat inferni ignomi-  
nia. Quos salvos & incolumes quoad corpus è  
materno eduxerat utero: quos victu & amictu, re-  
busq; omnibus ad hanc vitam necessariis abundè,  
aut certè pro mensura & modulo cujusq; suffici-  
enter instruebat, aiebat, protegebat: non aliter ju-  
dicare poteramus, quam ita hæc nobis dari, ut sa-  
gina pecoribus maçtationi destinatis. O mise-  
ram hominum conditionem! O miseriam! omni-  
um miseriarum vel eo nomine miserrimam, quod  
nullam creaturam misereri nostri poterat: cum o-  
mnes ob offensum creatorem, exosæ nos essent:  
& si maximè misertæ nostri fuissent, opem ferre



nec singulæ poterant nec univērsæ. Potentia enim  
ipsarum finita; nobis autem cum infinito Deo,  
quem offenderamus, res erat. Verum enim verò,  
unde perditionem exspectare pro meritis nostris  
debeamus, indidem oriebatur salus nostra. Ipse  
scilicet tam graviter à nobis offensus creator, pro  
infinitâ suâ misericordiâ, opitulari miseris nostris  
volens, immensâ sapientiâ suâ hunc invenit mo-  
dum salutis nostræ reparandæ, ut filium suum u-  
nigenitum nobis daret, qui in utero delectæ hanc  
ad rem Virginis Mariæ, à Spiritu sancto, tertiâ divi-  
nitatis personâ conceptus, destinato ab ipso tem-  
pore, h. e. ante hos mille sexcentos unum & qua-  
draginta annos, homo nasceretur, inq; assumpta  
nostra carne legi subditus, patri obediens fieret, ad  
mortem usq; & eam quidem ignominiosissimam,  
mortem nempe crucis; atq; ita Patris iram placar-  
et, legis minas retunderet, opera & tyrannidem  
Diaboli everteret, sibiq; filios ab inferno liberatos  
ad cœlum reduceret. Ac ne diu sine solatio omni  
maneremus, statim post lapsum primorū paren-  
tum de hoc Vindice promissum hujusmodi fece-  
rat Pater : *Mulieris semen conteret caput serpentis.*  
Quo promisso, & ipsi postea fuerunt contenti,  
donec id ipsū aliis verbis Abrahamo, Isaaco, Jaco-  
bo, Davidi, repetens, de semine benedicto, in quo  
omnibus gentibus, benediceretur, verba idē Deus  
faceret. Neq; servatus quisquam aliter fuit tem-  
pore



pore V. T. quam per fidem in promissum illud semen repositam. Quo autem desiderio expectarint fideles illud tempus, quo tandem nasceretur hic Servator noster, & perditæ salutis reparator, passim sacræ testantur literæ. Ipsa statim Eva mater omnium viventium, cum primo partu Cainû enixa esset, Habeo, inquit, virum Dominum. Putabat scilicet hunc esse eum, qui serpentis seductoris caput, secundum Dei promissum, contriturus esset. Qua in re etsi quoad personam errabat; gaudium tamen suum, piumq; desiderium prodebat. Neq; verò ipse ille error, aliunde proficiscebatur, quàm quod id, quod valdè volebat, facilè credebatur. Neq; aliam mentem sunt qui putant, Lamechi illius p̄i fuisse, cum nato sibi Noacho diceret: Hic est, qui nos in laboribus nostris & ærumnis solabitur. Certè non aliò, quàm ad hunc vindicem ejusq; desideratissimû adventum respiciebat Patriarcha Jacob, cum fatali decumbens lecto, inter vaticinia de filiorum sorte, annexasq; benedictiones, elatâ, & quasi alio abreptâ mente pariter ac voce diceret: Exspecto Domine salutare tuû. Huc item animum intendit Rex & Propheta David. Quis dabit, inquit, salutare ex Sion in Israël. Notum est deniq; totius Ecclesiæ, tempore Vatis Esaiæ votum ardentissimum, quo tandem dari hunc sibi vindicem petens ipsos inclamat cœlos. Rorate, inquit, cœli desuper, & nubes pluant ju-  
stum



stum &c. Differre scilicet Deus adventum ejus voluit, ob hoc ipsum, ut & avidius peteretur, & datus minus vilesceret. Si igitur illi spem suam in venturum hunc vindicē posuerunt; si omnes ærumnas & acerbitates spe in ipsum positâ edulcorarunt; si deniq; certa in eum fide salvati sunt: nos qui exhibitum jam dudum, & peractis ob quæ homo nascebatur omnibus, ad patriū, unde venerat, thronum remeasse, assumptamq; nostram carnem in eodem collocasse solio novimus; pro hac natiuitate ejus, & partis per eam, quæ diximus, & quæ nō diximus beneficiis, cū Ecclesia, quæ hoc tempore tota in eo occupata est, gratias agamus, nec temere ejus institutum migremus, sed potius quod omnes agere tanquam Christianos oportet, nos ciues Academici, qui scil. eo loco sumus positi, unde pietatis & obsequii facula allucere aliis debet, præ cæteris agamus, hoc est, beneficia illa piè meditemur, devotisq; mentibus & linguis celebremus, canentes cum Angelis, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bona voluntas.* Vitam deniq; nostram ita instituamus, ut ex operibus & factis nostris appareat, spirituali modo Christum etiam in nostris animis natum esse, & placita sibi in cordibus nostris cunabula habere; visibilem autem ejus reditum pro pedem à nobis expectari cum desiderio, ut hinc eodem ab ipso, translati, æternum cum ipso vivamus, & à facie ad faciem ipsum cum Patre & Spiritu sancto intuentes, æterna lætitiâ perfruamur, novumq; cum sanctis Angelis & omni beatorum cætu carmen exorsî, æternum cantemus & jubilemus. P. P. ipso die qui nataliis Salvatoris nostri, sacer. Anno 1641.











bus juramenti religio sacro sancta e  
tutis & literarum serio ac sedulo i  
sunt dicta. Improbis hæc ita prop  
redeant in vitam, vel quæ commin  
In bivio constitutis, ne se in conse  
trahi sinant, nec iisdem se cum illi  
næ involvant. Omnes paterna nostr  
admissuros speramus: secus qui fec  
stratum vindicem habebit.

Hactenus prioris, divexationibus  
nibus Pennalisticis oppositi Prog  
runt, additis pœnis Academicis i  
tatis, qui actiones eas prohibitas q  
cere deprehenderentur. Verum u  
tia, ita facile rimam invenit, qua e  
legi facere, & impunitatem sibi pro  
quod schoristica & pennalistica a  
grammate merito damnatæ essent  
Conventuum nationalium, qui act  
& spiritus sunt, nulla facta esset m  
hoc pacto actiones illas illaudatas  
servari. Cum ergo manifestior sit,  
Nationum indoles, restatioq; e  
quam ut negari possit, ne quid a  
nem prætendant, hoc Statuto n  
diosorum formulæ conjungendo c  
nostris, Academicæ jurisdictioni su

PRIMò, ut quicunq; nomina su

A 3

studia vir  
t, hæc non  
nus, ut vel  
expectent.  
vorum de  
æque divi  
d animum  
n & Magi  
is & actio  
verba fue  
us denun  
modo exer  
est nequi  
e, fraudem  
eraret, eo,  
llo in pro  
um verò &  
rum anima  
osse igitur  
nento con  
cieratum &  
notidianis,  
excusatio  
menti Stu  
, & civibus  
nuntiamus.  
que modo  
professi

